

eslaus

Preteri Matthaeus Casim: Olor Wasowiciianus in cathedram doctoralem inductus.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002069

OLOR WASOWICIANVS

IN CATHEDRAM DOCTORALEM INDVCTVS

Cum

Perillustris & Admodum Reuerendus Dominus,

D. VENCESLAVS DE SMOGORZEW WĄSOWICZ,



ARCHIDIACONVS POSNANINESIS

Nurensis, Łaskarzewiensis &c. Præpositus,

Solenni ritu

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR

Per

Claris: ac Doctis: & Admodum Reuer: Dominum

D. M. STANISLAVM ROZYCKI I. V. D.

renunciaretur.

à

MATTHIA CASIMIRO TRETERO Aritum & Philos: in Alma Acad: Crac: Baccalaureo

PRÆSENTATVS.

CRACOVIÆ,

ANNO D. M. DC. XLVII.



SIc vbi fata vocant vdis abiectus in vndis
Ad vada Mæandri concinit albus OLOR.

Ouid: in Ep: Heroit:

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. VENCESLAO DESMOGORZEW WĄSOWICZ

ARCHIDIACONO POSNANIENSI NVRENSI, ŁASKARZEWIENSI &c.

PRÆPOSITO,

Iuris Vtriusq; Doctori recenter renunciato

Domino ac Mecænati.

ITa nos humiles animas prouidum formauit fatum PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE, *vt toti è maiorum Orbis Nominum pendeamus nutu, & quasi pedissequa quædam solsequia, terrenos hos soles indiuiso comitemur obtutu. Impulit innatus iste genius etiam me humilem seruum Tuum, vt dum ad summum* Iuridicæ Facultatis *Augustale fortunatum effers caput, obsecundam expedirẽ vocem, Tibiq; nouo Iuris Doctori, discipulũ aptarẽ calamum; Sed cum imparem me tanto oneri Athlantem, & infra materiam Encomiastem reputarem, Orationem conuerti in Adorationem; deiectusq; in genua & ante Illustres affusus pedes, Magnitudinem Tuam diminutione professus sum mea. Ne tamen omnino elinguis in Tuos deuenirẽ conspectus, excludendus merito vti mutus Dauid à Philisthæo Achi*

 leuem

leuē pennā in Pennatas Natiui Oloris *Tui expediui laudes. pauculosq́; hos lætitiæ plausus vtpote obsecunda suo Antesignano Auis, crocitanti magis quam peroranti fudi linguâ. Quos Tu* PERILLVS: & ADMODVM REVERENDE DOMINE, *benigno suscipies sinu, & me qui nondum in Tuas ipsius adoleui, in Tui saltem stemmatis, liberè patieris intrare Panegyres; neue audax Icarus dum temerario calamo, enitentem ad summa prosequi tento* Olorem Tuum *ab effuso dignitatis extabescam fulgore, itá splendorem temperabis Tuum, vt nec Illustritate obsit, nec tenuitate desit Clienti Tuo: Vtiq́; & voracibus Olim Coruis ante Augustas permissum est orare Aquilas, & garrulæ picæ suam in magnis auibus habent, si non reuerentiam saltem audientiam: Me quoq́; de promiscuo popularium Volucrium vulgo obstrepentem* Olori Tuo *excusabit vel illius comitas vel mea tenuitas, neq́; vitio vertetur, quod cum non possim tanta ferre Elogia quanta debeo, tanta feram quanta possum.*

Perillus: & Admodum Reuer: Dn. Tuæ
Cliens.

MATTHIAS CASIMIRVS TRETERVS
A. & P. B.



Oc demum ſupererat Gentilitio Olori
Tuo PERILL: & ADMODVM REVEREN-
DE DOMINE: vt per Doctorales circumla-
tus Cathedras ad publicos Vniuerſi exhibere-
tur aſſenſus, & gratiores quia ab alto, in ſub-
iacentes Terras ſpargeret ſonos : Nempe cum magnam
iam Hyperboreorum tractuum portionem, aut deſiderijs
aut meritis impleuiſſet ſuis, in ea tandem vrbe deſtinatum
quaſi figere nidum debuit, in qua Sereniſſima Sarmatiæ A-
quila Martialibus, Academica Pallas Apollineis, nouellos
Lechiadum pullos in gloriam armat pennis. Ac olim qui-
dem reſolutus iſte OLOR per varios auſus dexteritatem pro-
bauit ſuam, nunc victor in prælijs, nunc ſuaſor in concilijs,
vtrobique celebris, & ſuo par genio in arreptis negotijs; ho-
die nouum etiam aggreditur laudis genus, dum feſtinatis ac-
ceſſibus, glorioſas ambit exedras, & Honoros calamos, quos
alia minorũ volucrũ plebes, vel in aere vel in ocioſo hebetat
puluere, ad Codices transfert heredem ſibi de omni Iure
ſcripturus gloriam quam nulla olim caſſabit retractabitque
ætas, niſi quæ Ius ac Æquum dediſcet, Doctorum vel vacua
vel oblita. Benè verò ad æquitatis ſcientiam magnus iſte
Profeſſor accingitur, quia nemo candidius decernere poteſt,
quàm qui congruum colori ſuo iudicium feret; Ne timete
abhinc innoxij præpoſteram Legum inuerſionem, deuiaq;
fraudulentorũ molimina, quia in eum veſtræ lites cecidère
diremptorẽ qui non niſi concolores ſibi, albos nempè amat
calculos. Procede verò propitio Numine & fauſtis Auibus,
Magne ipſe Auiũ Primipile **WASOWICIANE** OLOR; ſequi-
mur præeuntem demiſſum viliorum alitũ vulgus, & dum Tu
Audaces in Æquitatis profeſſione, nos ſequaces in Tuæ di-

gnitatis veneratione exercemus pennas; præstituri tam Illustri Vtriusque Iuris Mystæ audientiam, modò ipse præstes Audituris beneuolentiam; Nec spernes opinor, tametsi minores & infra meritum Tuum subsidentes, ipsâque adhuc leuitate suâ graues, humilium Auium calamos, quia vti ad Tua per fortunam minorati decrescimus obsequia, ita per Tua elauati crescemus auxilia.

Succensuit semper Orbis, inanibus illis stemmatum buccinatoribus, quibus tota gloria verè cerea, in natiuis crescit ceris, & quorum omnis decor, ab auito illustrium Maiorum petitur labore: Estq; profectò vnde merito vituperio vapulent tales Patriæ dignitatis inuasores, quia cum nihil addant de suo, otiosi partorum possessores, licentiosè volutantur in alieno; iniuriamque Prædecessoribus inferunt, dum tot redemptam impendiis famam, desides ipsi euilescere sinunt; & si quid reliquum Magni nominis cum Traduce sanguine accepêre, vsu ipso diminuunt, feruentemque illum in grandia ardorem, qui nec interiectu mortalis cineris gelatus est, segni corpore refrigescere faciunt, Quasi verò Illustres Ataui ideò suam tantis ausibus laborarint in gloriam, vt secuturi Nepotes alieno tumidi, suo vacui meritò iners demitterent supercilium, partâque Atauorum iactabundi famâ in nullos degenerem animum ausus attollerent, & indefessi Larium custodes, ad Auitos focos innoxiam Amicorum salutem patriæ salutis incurii perpotarent; At enim melius est aliquem paruâ gloriâ sed propriâ quàm magnâ opinione sed alienâ niti, mallem cum Varrone à Macello, cum Cincinnato ab aratro, cum Seruilio Tusco à captiuitate ad fasces & diadema vocari, quàm cum Dario, Iugurtha, Philippo, post tot longa serie deductos reges, in compedibus & Catenis, longum desidiæ monumentum circumduci. Verum occurret aliquandò circumforaneis his stemmatum ostentatoribus seuerior mulcta, cum tot Auitorum rei decorum ad obliuionis citabuntur Tribunal, & à districto aliquo censore nimij maiorum abusores, licentiæque quàm libertati propiores de gra-

du

du mouebuntur suo: Habeant interim satis, quod à Tuo PERILLVSTRIS DOMINE exemplo, sedulâque castigantur vitâ; Sortitus tu quoque es parem vt cæteri generis splendorem, recepisti in Te confluentem maiorum sanguinem, & in magnam Heredis gloriæ Testato immissus possessionem Grandes duxisti Familiæ Tuæ spiritus, non tamen totam gloriam Tuam, in vna geneseos pompa statuis, neque omni humanæ vitæ contextui à solo Illustrium cunarum exordio confirmationem petis: Initia hæc non Felicitatis sed Natiuitatis Tuæ vti de facto sunt reputans. Itaque iam inde à primo vitæ Tuæ exortu ad Virtutem & sudorem accinctus, ita omnes adolescentiæ cōponebas mores, vt qui Te viderent, nocturnis impallentem paginis, rediuiuum Cleanthem ad lucernam intueri se crederent, nempè quod olim Romanum fuit, Tu consuetudine Polonum effecisti, vt ad Templum Honoris, non nisi per limen ingredereris laboris, quò prius in ipso aditu, proprio quasi lustratus, ac expiatus sudore, dignior demum victima, ad sublimes dignitatum adhibereris Aras. Hac pulchrâ viuendi ratione quam à primis arreptam incunabulis per totum labentium annorum decursum, in hæc vsque, constanti serie deducis tempora iecisse mihi videris, fundamenta eius cuius nunc culmina occupas Iuridicæ Scientiæ, vsu enim & quotidianâ praxi, ita Æquitatem profitebaris, vt liquidò pateret Te pridem Iuri & Iustitiæ Sacramentum dixisse, qui omnis alieni boni negligens, cuncta Atauorum merita, & heredes qui Tibi influebant titulos, præ Virtute propriâ contempseris, quasi ne nomine vllo, obligari cuiquàm velles; Præuidebas nimirum omnia hæc in quæ vulgus promiscuo ore hiat, & ad quorum speciem, attonitâ fronte subsistit vtensilia esse, & aliquando repetenda; omneque decus quod nobis seris Nepotibus consanguinei transmisêre Ataui, mutuum & non tam nostrum, quàm nobis datum, olimq; reddendum esse, vbi apparitor mortis morbus diem dixerit, & abdicare sese commodatis hisce imperauerit: Solus animus in proprijs computatur, qui

qui si nullo adscititiæ fortunæ temeratus est additamento, quidquid sibi de se peperit secum efferet & omnis securus lictoris, partam longo labore fortunam indiuisus possessor retinebit. Erubescerent hîc si Te & hunc Animosum OLOREM Tuum cernerent illæ alienarum plumarum nimium tenaces volucres, quæ dum se proprij decoris inanes vident per mutuatas clarescere pennas, & ad summa non suo calamo erepere student; erubescerent inquam illi, quos vel emptus pretio honor, vel secundus popularis auræ plausus, vel demum nudus Auorum sanguis delectat, qui tamen ipse sanguis, si sciret quàm desidi resideret pectore, degeneri Nepoti ipso suo rubore verecundiam eliceret; pudorem nempè incutit & simul torporem excutit Tuus OLOR, dum extranea hæc generoso præteriens oculo, nullam candori suo extrinsecus allini vult limã, & seuerus Æquitatis cultor reddens Atauis quæ sua sunt, in propriam ipse laborat gloriam, ad magnaque dignitatum culmina geminis virtutis ac laboris euolat alis. Illud verò hîc nescio quo excipiendum supercilio, quo prosequendum stupore, quod Magnus iste OLOR tametsi grandibus in Republica Polona assuetus culminibus iam inde à primo suo exortu summa subsellia in Illustribus elatus Auis, honorato prætriuerit vestigio, non tamen hodie ad Senatorias curules, non ad Pontificias vittas, & si quid vltra humana æstimatio ponderosius fecit ambitiosum egerat pedẽ sed veluti in priuatæ conscientiæ contractus latebras ad tetrica musarũ adita, pallentesque Iuris paginas, emeritos transferat passus. Aquilis olim etiam concertare cygni ausi sunt, tametsi ad hæc duella vti non descenderunt nisi læsi, ita nec excesserunt nisi vlti; Hodie postquam inter Aquilas mutua intercessêre fædera, mitioribus video insuescunt camœnis, & ferociam quam hostis inuitis extorserat, vltro inter leges exuunt, ab odijsque conuersi ad studia, pugnas exautorant in paginas. Conticesce mendax antiquitatis fabula, quæ cygnos ad venerea destinasti frena, & in illo probroso iugatos curru aurigari impudicitiæ coegisti; exsors

tantæ

tantæ seruitutis WASOWICIANVS OLOR, quia Polonæ innutritus libertati est, nulliq; rotæ famulare subijcit collum, nisi ei quam ipse sibi temperat; Quod si aliquando in minoribus istis rotarum circulis proludere placet vehendos magno terrarum orbi, in illius tantum DEI transit frena, cui olim sacratum se meminit, nempè Apollini; huicque soli fidem & seruitia sua etiam TUUS PERILLVSTRIS DOMINE obligauit CYGNVS, Nulli unquam nisi soli, & publico seruire gnarus: nescio an non ideò tam effusè etiam candicat in stemmate quia nimium ad Apollineas impalluit vigilias. Nec verò hoc aliquid pulchritudini illius derogat, quod scholastico huic deditus DEO, gloriam suam, Gentilitio olim titularique nominis Poloni assuetus campo, ad vmbratica hæc lycæi claustra transtulerit, & gloriosos titulos non ex hostilibus manubijs, sed è Cathedralibus otijs struere aggressus sit, quia vti pulchrior imago, quam suæ opportunè intercurrunt tenebræ, ita gratius procedit gloria, vbi vires inter Palladia collegit otia, Nempè non sola in laudibus computantur Cæsorum hostium capita, neque tantum gloriæ splendor ex inimicis emicat cineribus: lucere cum Phœbo licet vel ad Citharam, etiamque volatiles calami præter sagittas gloriam ad posteros transmittunt, immò si veritatem fateri licet, iners telum sine penna est, magis autem ille dignus est fastis, qui minus alienis maculatus est fatis. Te in dicti testimonium simul ac exemplum voco WASOWICIANE OLOR qui tantis iam perfunctus honoribus, tantis adhibitus es muneribus, vt vnus ipse, tum in Hierarchicâ tum in Politica Reipub forma, maximas gereres dignitates, & Vniuersorum dignationes reportaueris, & tamen Te non fatalis Martis circus, neque demersa ruinis suis clararunt bella: Vni deuotus Æquitati, in eam excreuisti staturam quæ minorem neminem fecit sed inuenit. Ædificent alij nomina sua instratis cadauerum aceruis, excidant titulos in regnorum excidijs, nominaque sua grandiori ensium impressa typo, ad perennem posterorum memoriam in ceruicibus hostium

 transmit-

transmittant; securiùs Tu nomen, securiores titulos quia à Iure & de Iure Tibi debitos sumis, qui vti nullius creuêre iactura, ita nec decrescent; illa enim tantum immortalitas fatis obnoxia est suis, quæ paritur alienis. Nec nouus primum hospes ad hæc Iuris ac Iustitiæ vocaris adita, leuique pede in tam sublimes Doctoralis officij eniteris sedes; præexercuisti iam olim insignem hunc Æquitatis amorem, cũ ab Vniuerso Venerabilis Capituli Posnaniensis delegatus Senatu, in Publico Regni Iudicio, viua quasi legum norma extitisti; Quoties totus ille Poloniæ Areopagus à Tuo vouentis ore pependit, quoties titubans miserorum causa accisis rebus velut nutans carthago suum Te experta est Xantippum. Falso iactas trita iam promiscuis sermonibus fabula, Cygnos ante sua fata optimum dare cantus specimen, Gentilitius OLOR Tuus in illo Lechicorum Iudicum Collegio, tum demum quasi viuere non sibi sed Patriæ incipiens, ea dabat altioris genij oracula, quæ demũ Lechiæ Vniuersæ plausus, & huius Doctoralis sedis meruêre ascensus; Non sola sibi complaceat in oraculis Delphos, neque tantũ Hammonius Iupiter falsam veri præscientiam sibi arroget; Sacratiora nos è Tuis aditis & magno Numine infesso pectore audiuimus, quia Patriæ, quia Miseris Vtiliora: Nemo enim proximius ad Deum accedit quàm qui egentibus succurrit; Ab illo non quidem tyrocinio nondum tamen veterano usu ad Triariatum hodie initiaris PERILL: DOMINE & quam diuisim in pluribus in hac vna Metropolitana & Regalis & Academici sceptri sede collectim sistis Æqui scientiam. Ac (ni me mea fallit intentio) videris mihi imitatus prouidum, hoc Tuo præsenti actu Ducem, qui magnarum aggressurus obsidiã vrbiũ, Vires primum suas ad censum vocat, ballistas, ligones, & quæcũq; fato Vrbium destinata sunt tormenta, nondum eductis in aciem copijs comportat, mediaq; adhuc in pace bellum ipse secum ordinat, & castra ante vsum castrorum disponit; Ita Tu post tot partas felici marte & arte laudum adoreas, redintegras veluti adesas ipso vsu vires, & in hoc Sarmaticæ Palladis arma-

dis armamentario, ea Tibi congeris tela quæ demum ad inuadendam capiendamq; gloriam magnum in omni vita allatura sunt momentũ. Habēt magnæ mentes in vsu ut quoties confusum publica solicitudine caput, sub specioso honorum onere nauseat, ad aliqua laxamenta, otiosum tantisper auertant animũ, quo veluti turbato lacu subsidentibus Euris in lenem denuò redeant malaciam, primitiuisq; componātur ethesijs. Sic auocatus à publicis Domitianus persequitur muscas, demesticũq; hastiludium, ingentis sane animi Princeps cum hoc imaginario exercet inimico; sic fessus & sua suorumq; actorum prægrauatus mole Diocletianus, serit surculos Salonis, & imperatorias manus Hortensibus commodat insitionibus; Sic demum feliciori compendio suffuratus se ipsum foro Antoninus pius, ad libros & literarium recurrit archiuium, computaturus in illo ingenuæ mentis thesauro, si quid in diem prouentus accesserit. Tu verò PERILL: DOMINE & Tuus iste ILLVST: OLOR, post tot publicarum solicitudinum, post tot continuarum vigiliarum nauseas, ad quæ properabis auocamenta? Non placent bella, satis iam suarum conscio virium, nō arridet Hortensis cultura, ad nullas assueto nisi Palladias Lauros; Ergo non dispar Philosopho huic imperatori diuerte ad Inclytũ Academiæ Panætium, & desideriorũ Tuorum metā in hoc scientiarum omnium require adito, cum attestante Philosopho *Omnis homo naturaliter scire desiderat.* Audiui apud Olores olim adeò in amoribus fluuios fuisse vt etiam morituri, vltimum illis impenderent inhalarentq; spiritum; Tu quoque ILLVST: WASOWICIANE Cygne, ad Amnes recurre, nō illos quos Mantuani lacus aut multiplices Mæandri reflexus, aut denique mites Caystri ripæ parturiunt, sed quorum parens Pegasus sequacem fluuium generosa Vngula elicuit; Et nimium insueuisti iam fluuijs ô felix OLOR quia sæpe etiam eos ex hostilibus pectoribus fatali gladio eduxisti. Sed relinque interim hos tot cadauerum funerumue reos, & alienis exequijs funestatos Amnes, mitiora vocant profluvia quæ nomen tuum æternaturũ, tuo remigio

ad omnem

ad omnem venientium ætatum fontem deuchent. Per hunc olim Academici Heliconis fontem, inuiolatam gloriã Magni SARMATIÆ proceres LVBRANSCII, GOSLICII, OSTROROGII TĘCZYNSCII, OCIESCII, &c &c. in immortalitatis portũ transmiserunt, dum sacras illius Lauros & veneranda Insignia, heroicis manibus amplecti non erubuerunt; Per hunc Magnus etiam in præsens Posnaniensis Præsul ANDREAS SZOLDRSKI, cum Gentilitiam Nauim, grandiori nempe iam insuetã viæ deducere non posset, Charissimum sibi OLOREM Tuum impulit, vt ad tam nobiles vias audaci accingeretur remigio, habiturus ab Episcopea Naui suum Typhin, modò ipse Iason esse vellet, & aurata hæc Doctoralis Mitræ adoriri statueret vellere; sequere tam Magna vel Consilia vel Exempla, sequendus & ipse imitadusq́; vbi exoluto mortalis scenæ actu, ibis per futura sæcula, longum & exemplum & miraculum. Hîc me subita repentè incessit noscendi cupido quidnã Magne venator gloriæ, in his felicibus profluuijs inquires, quas merces ex hoc ditiore quàm Pactolus, aut Tagus, aut cæteri suis infames ruderibus aurati amnes Pierio flumine rimaberis? an vt ille luxuriosus Imperator, diuite hamo subordinatam excipies prædam, an Tymotheo par Atheniensi coeuntes in amicum rete, per triumphum coges vrbes? facessent hæc antiquitatis commenta, aut penitus ficta aut vltra verum credita, maius quodpiam generosus iste aggreditur OLOR dum gemmas, & quidem annulares in hoc fonte venatur: nec metue (ita vates ominatur amor) ullũ à præda detrimentum, perijt Samnius Polycrates, à suo quem in piscatu receperat annulo, quia Tyrannus. Tu per hunc Doctoralem quem hodie acquiris annulum, in omnẽ deuenies fortunam, quia Iuris & Æqui tenax amator, Ergò volentibus fatis, applaudentibus omnibus bonis, accipe adhuc in mortali degens corpore, hunc immortalitatis Arrhabonẽ, quo Te sibi gloria, quo Virtus, Iustitiaq; desponsat, & circumfer interim Symbolicum indigito, donec olim expleta humanæ vitæ tæmia, à verò Æternitatis ipse circumfereris orbe.

DIXI.